

P R O P O S I T I O .

*Quidquid de Baptismi Sacramento ad credendum proponit
Florentinum Concilium, & Tridentina Synodus, creditur
semper, & docuit Catholica Ecclesia.*

§. VI. Primo, verum esse Sacramentum Sanctum Baptisma, credit Ecclesia: idque constat ex Evangelio; nam ad Sacramenti rationem tria hæc requiruntur: signum sensibile, institutio Divina, promissio gratiæ; cum autem dicat Evangelium, hoc Sacramentum a Christo institutum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* & quidem in signo sensibili, & cum gratiæ promissione: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Cælorum*: ex Evangelio patet Sanctum Baptisma verum esse N. L. Sacramentum. II. Credit Ecclesia, in aqua dumtaxat hoc perfici Sacramentum: idque quam rationabiliter credat, patet ex §. II. Credit III. Baptismum ab hæreticis collatum, non esse iterandum; eandem vero fuisse jam ab Apostolorum temporibus fidem Ecclesiæ ostendimus *q. III. cap. II. §. V. ubi*, & Characterem hoc Sacramentum imprimere demonstravimus. Credit IV. hoc Sacramentum necessarium esse necessitate mediæ ad salutem; hanc vero semper fuisse Ecclesiæ sententiam, constat ex *S. Augustino ep. ad Petrum Diaconum. Firmissime tene, non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matris vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive jam de matribus nati, sine Sacramento Baptismi . . . de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos, quia etsi peccatum actionis nullum habent, originalis tamen peccati damnationem, carnali conceptione ex navitate traxerunt.* Credit V. gratiam sanctificationis acceptam in Baptismo, per peccatum amitti posse, quod experientia ipsa demonstrat. Eandem fuisse semper doctrinam Ecclesiæ, tum ex Libris S. Cypriani de lapsis, tum ex Novatianorum in historia manifestissime demonstrari potest. VI. Tenet Ecclesia, per Baptismum non tantum Fidei servandæ debitores fieri baptizatos, sed totius etiam Christi Legis ob-

fer-